

Juramenta de tregua servanda.

89

MCXCIV.

Anno Domini millesimo centesimo nonagesimo quarto XII. die mensis januarii, indictione XII. Hoc est juramentum pacis, & concordie factae sub domino Trasardo legato domini Henrici Dei gratia invictissimi Romanorum Imperatoris super guerris, & discordiis Lombardiae. Ego juro ad sancta Dei Evangelia, quod bona fide, & sine fraude, & malo ingenio observabo, & attendam omnia praecepta, quae dominus Henricus Dei gratia invictissimus Romanorum Imperator, & semper Augustus, vel dominus Trasardus ipsius Domini Imperatoris in Italia legatus faciet mihi super guerris, & discordiis, quae habet cum Papiensibus, Cremonensibus, Laudensibus, Bergomensibus, Cumanis, Parmensibus, Marchione Montisferrati, & Marchione Moruello, & omni eorum parte, scilicet de pace, & tregua, & justitia facienda, & rebus ablatiis, & damnis datis tempore treguae factae per ipsum dominum Trasardum restituendis. Insuper omnia alia praecepta, quae faciet mihi pro praedictis omnibus observabo. Praeterea observabo, & attendam omnia praecepta, quae mihi faciet de stratis aperiendis, & mercatis ducendis tam per aquam, quam per terram, & hoc Sacramentum faciam fieri ab omnibus, quos voluerit de civitate, & terra, & loco meo. Hoc autem Sacramentum fecerunt sicut supra legitur pro hominibus de Mediolano Bertrammus Scacabarocius, Roglerius de Lampugnano, Roglerius de Rollate Consules, & Guido Vicecomes, Ugo Camerarius, Albertus de Lampugnano, Laurentius Corbus Passaguerra, & Praeneus Consul negotiatorum &c., & de Placentia Gulielmus Scorpia Consul, & Guido de Runcoveteri, Arnaudus Strictus de Caesarea, Balduinus, & Bonifacius de Cremona, Antonius de Granzis, & Benzonus de Domasio, Martinus Judex de Grabadona, Thomas Porta de Graveria, Obertus de Rovaglia. Actum in palatio Vercellensis Episcopi praesentia domini Alberti Vercellensis Episcopi, & ipsius domini Trasardi. Interfuerunt testes dominus Ottobonus, Bazzanus Vercellensis Ecclesiae Canonicus, & Magister Ugo Novariensis Canonicus, Presbiter Rubaldus Mortariensis Canonicus, Frater Jacobus de Laude, & multi alii, qui ibi erant in plena Ecclesia. Unde plures chartas uno tenore scripta sunt.

Venditio duarum possessionum Archipresbitero de Calamania.

90

MCXCV.

Anno Dominicae Incarnationis MCXCV., indictione XIII. II. nonas madii, die Sabbati, Trexerius quondam filius Aicardi Placiana jugali jurante, & omni suo juri scilicet hypothecario, & Senatus Consulti Vellejano renunciante, & omni tempore ratum, & firmum tenere promittente, & per hanc cartam venditionis tradimus tibi Domino Jordano Archipresbitero de Calamania duas pecias

terrae, quae jacent in territorio Placiani una ubi dicitur Fossaelus ecc. pretio finito denariorum papiensium septem libras, & quinque solidos ecc. Actum in planis Placiani feliciter. Testes Manfredus de Calamania Ubertus Gener venditoris.

Constitutio procuratorum civitatis Alexandriae ad appellandum ad summum Pontificem a sententia Episcopi Terdonensis delegati in causa Quargnenti.

MCXCVII.

91

Anno Domini millesimo centesimo nonagesimo septimo, indictione XV., die Veneris IV. aprilis praesentia testium, quorum nomina subius leguntur, dominus Vermus de Pusterla Caesarea potestas communicato ejusdem civitatis consilio in hoc convocato nomine communis constituit procuratores dominum Theobaldum, & dominum Ruffinum Scaculum, & syndicum ad appellandum ad Sedem Apostolicam ab executione sententiae possessionis Quargnenti, de quo quondam vertebatur questio inter Episcopum Astensem actorem, & Caesarienses sub domino Imperatore a summo Pontifice commissa domino Ottoni Terdonensi Episcopo, & ab omnibus literis a Curia Romana directis eidem Episcopo, sive ab Episcopo Astensi impetratis super facto Quargnenti, & generaliter ab omni gravamine, & praecepto, & interlocutione, & sententia, & interdicto, & prohibitione: & eodem modo ad appellandum, si quid super proprietate fuerit ei directum, sive ab Astensi Episcopo, sive ejus nomine impetratum, & ad petendum apostolos cum instantia, & dicimus praedicta omnia veritate tacita per mendacium, & per obreptionem fore ab Astense Episcopo impetrata, & pro hoc facto praedictus Vermus Potestas Caesarea nomine communis istius civitatis specialem, & delegatum ad summum Pontificem direxit, & hodie iter arripuit pro redarguendo mendacio rescripti, sive literarum impetratarum, & pro commissione cognitioni hujus causae facienda. Actum in Caesarea feliciter. Ulterius dominus Vermus Potestas Caesarea nomine communis civitatis istos procuratores, sive syndicos constituit, & inde hanc cartam fieri rogavit ut supra. Interfuerunt testes rogati dominus Jacobus de Brixia Judex, ac Oliverius de Pusterla cives Mediolani, & Stephanus Judex civitatis Caesareae.

Taxa Curadiae ab Episcopo Aquisensi, & a Marchionibus Ponroni imminuta.

MCXCVII.

92

Anno ab Incarnatione Christi MCXCVII., indictione XV., die martis pridie nonas madii apud dominum Ugonem Aquisensem Episcopum, & Ubertum de Burgo, Enricum de Porta, Morandum, Johannem judicem, Enricum Pestarozam, & Jacobum Bocassii ecc. Consules Aquisenses. Cives Aquisenses partes marinas frequentantes saepissime